



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

8. Vltimum argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

tradictorio respectu alterius; sed relatio est opposita suo termino: ergo nullo modo potest constitui formaliter per suum terminum. Minor est certa ex omnibus Doctoribus sequentibus Aristotelem, qui posuit quatuor genera oppositorum scilicet contrariorum, privativorum, contradictoriorum, & relativorum: ergo relatio est opposita suo termino; de quo latissime ago in Logica prædicamento de relatione. Maior illa est certa, quia ut duo prædicata concurrant ad constitutionem unius debent simul coniungi, & existere in eodem subiecto constituto per illa; quia omnis constitutio est per unionem, aut identitatis, aut coniunctionis; sed duo opposita non possunt simul coire in eodem subiecto, sed potius ex vi suæ definitionis mutuo se expellunt, & excludunt, quia opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt: ergo duo opposita nullo modo possunt formaliter constituere unum; & à fortiori unum oppositum non potest constitui ab alio; quia constitutum non solum est simul cum constituto, sed etiam essentialiter, & formaliter intra ipsum, quod nullo modo potest contingere in uno opposito respectu alterius.

96 Sed scientia, intelligere, & intellectio divina est relatio, aut secundum dici, aut transcendentalis, ad suum obiectum; unde scientia Dei respectu creaturarum, aut quæ cognoscit creaturas formaliter & per se quatenus illas cognoscit, non est ad se, sed ad aliud: ergo est opposita suo obiecto, & intelligibilitati illius, præcipue si obiectum est creatum, quia scientia divina, infinita & increata opponitur obiecto finito, & creato: ergo formaliter non constituitur per suum obiectum, & intelligibilitatem illius, licet terminative petat, & requirat illum.

97 Atqui scientia visionis, seu intellectio divina actualis per quam Deus cognoscit creaturas futuras & existentes, est vera & propria scientia infinita, & increata Dei, seu verum, & proprium intelligere divinum increatum, & imparticipatum seu infinitum habens pro obiecto intelligibilitatem creatam finitam, & limitatam: ergo est formalitas ad aliud, ac proinde est relatio, aut secundum esse, aut secundum dici habens pro termino opposito relativo formaliter talem intelligibilitatem creatam: ergo evidenter & manifeste sequitur scientiam visionis formaliter non constitui à cognoscibilitate creaturæ futuræ, & existentis licet petat terminative illam: ergo præter cognoscibilitatem creaturatum, & præter posse cognoscere ex parte Dei requirit formaliter aliquid, per quod formaliter constituitur in esse actualis intellectio, & ratione cuius nostro modo intelligendi transeat Deus formalissime de potente intelligere ad actum intelligere, quod nihil aliud potest esse, nisi actualis tendentia vitalis, actualis vitalis terminatio seu actualis representatio, & præceptio vitalis ad æquata obiecti creati; atqui actualis intellectio, representatio, & tendentia vitalis est actus secundus intelligendi comparatus cum posse intelligere, & posse intelligere comparatum cum actuali intellectio, seu tendentia à vitali est actus primus: ergo iam datur in Deo nostro modo concipiendi actus primus, & secundus ad intelligendum, non obstante solutione futili adversariorum.

98 Quam veritatem alio modo urgeo; quia hæc

obiecta, quæ Deus facere decrevit, ita Deus nescit ab æterno esse futura scientia libera, ut posset etiam ab æterno non cognoscere ut futura ea scientia; etenim si non hæc, sed alia creare decrevisset, ut poterat, non hæc, sed alia cognosceret hæc scientia: ergo hæc scientia distinguitur nostro modo intelligendi ab illa; siquidem hæc existit, & illa non existit nostro modo concipiendi, quia eadem formalitas non potest esse eadem respectu duorum contradictoriorum; sed homo futurus, homo non futurus sunt duo contradictoria obiecta: ergo eadem omnino adhuc per rationem non potest esse scientia virtualiter, sed diversa virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum; v. g. odium & amor in voluntate divina non sunt idem formalissime, sed potius distinguuntur virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem; quia habent pro obiectis formalitates contradictorie oppositas, scilicet bonum, & non bonum; sed scientia de futuro & non futuro habent pro obiectis formalitates contradictorie oppositas: ergo non est una, & eadem virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum, sed potius ita distinguuntur tales scientiæ ratione obiectorum, ut existente una, non existat alia simul, sicut contingit in odio, & amore Dei; ergo tales scientiæ sunt plures, & non una nostro modo intelligendi cum fundamento in re ipsa, eo modo quo contingit in odio, & amore.

99 Atqui in Deo posse intelligere contradictoria, scilicet futurum, & non futurum, adhuc per rationem non est plura, sed unum; sicut voluntas divina est una adhuc per rationem, quæ potest amare, & odio habere, & ideo est actus primus: ergo etiam posse intelligere futurum & non futurum est actus primus respectu intellectiois futuri, & intellectiois non futuri; ut in creatis posse intelligere hoc, & intelligere oppositum; quia est unum, quod reducitur ad actum secundum intelligendi hoc, & illud, & radicantur in ipso posse, tam hoc, quam illud intelligere, est actus primus respectu illorum; sed in divinis datur unum posse intelligere, quod reducitur ad intelligendum hoc & poterat reduci ad intelligendum oppositum: ergo sine dubio est actus primus, quod pro aliquo priori antequam haberet actum secundum sciendi hæc obiecta nostro modo intelligendi fuit in potentia ad illa cognoscendum, & non cognoscendum: ergo etiam fuit ab æterno in divino intellectu aliqua reductio, seu processus ex potentia ad actum, & determinatio ex actu primo secundi ad actum secundum: consequentiæ factæ manifestæ videntur confirmatæ ex dictis.

SVBSECTIO VIII.

Ultimum argumentum principale ponitur.

100 **Q**uia divina essentia ultimo constituta est obiectum primum divinæ intellectiois: ergo divina intellectio non constituitur primario & formaliter ultimo divinam essentiam. Maior est evidens, admittiturque ab adversariis; quia inter obiecta divinæ scientiæ datur duplex genus obiectorum, aliud creatum aliud increatum, sed creatum non est primum obiectum, sed secundarium: ergo primum est increatum inter increatas autem perfectiores essentia divina ultimo

Quaest. II. Vtrum Deus constituatur, &c. 251

ultimo constituta est formale, & principalis obiectum, & hoc sine controuersia.

101 Consequentia in qua est tota difficultas, sic monstratur; quia obiectum est prius cognitione talis obiecti; sed quod est prius non constituitur a posteriori: ergo essentia diuina quae quatenus obiectum primum diuinæ cognitionis, & intellectionis diuinæ est prius illa, nullo modo potest constitui ab eadem ultimo, & formaliter. Maior est euident, & patet, ex D. Th. lib. 3. contra gent. cap. 26. ubi in secunda ratione cum dixisset, obiecta esse naturaliter priora actibus potentiarum, infert obiectum voluntatis esse prius eius actu atque adeo actum voluntatis non posse esse primum volitum, & ratione tertia agens de actu intellectus ait: in omnibus potentiis, quæ possunt conuertere in suos actus, fertur primo in obiectum, & postmodum in suum actum; si enim intellectus intelligit, se intelligere, prius oportet ponere quod intelligat rem aliquam, & consequenter, quod intelligat, se intelligere; nam ipsum intelligere quod intellectus intelligit, alius obiecti prioris est; unde oportet quod vel procedatur in infinitum vel si est deuenire ad primum intellectum, hoc non erit primum intelligere, sed aliqua res intelligibilis. Quia ratione probatur manifeste à D. Thoma intelligibile diuinum saltem ratione præsupponi debere ad actualem intellectionem Dei, at proinde primum obiectum diuinæ intellectionis esse prius ipsa intellectione; quod amplius declarat his formalibus verbis Paulo supra, in omnibus potentiis obiecta sunt naturaliter priora actibus illarum potentiarum, sicut motor naturaliter prior est quam moueri ipsius mobilis; ergo secundum D. Th. nullo modo potest dubitari, quod obiectum ut sic intellectionis ut sic sit prius sua intellectione; sed quidquid conuenit superiori, conuenit omni contento sub illo secundum illud axioma: quicquid de omni, sed obiectum primum diuinæ intellectionis est aliquod obiectum contentum sub obiecto ut sic: ergo obiectum primum diuinæ intellectionis est prius nostro modo intelligendi ipsa intellectione. Ratio autem huius à priori est.

102 Quia omnis terminus formalis est prior terminata ad ipsum; quia omne specificatum, vel quasi specificatum est prius nostro modo concipiendi specificato; sed terminus relationis, seu obiectum intellectionis ut sic est specificatum, vel quasi specificatum relationis, & intellectionis, ut sic (omnis enim cognitio, relatio, vel quasi relatio est, ut supra dixi in ordine ad suum obiectum); ergo obiectum ut sic, seu terminus relationis scientiæ, aut intellectionis ut sic est prius nostro modo concipiendi ipsa intellectione terminata ad ipsum.

103 Confirmatur; illud est prius alio, quod est omnino independens ab illo, & quod nullo modo exigit aliud ad sui definitionem, cognitionem, & intelligentiam; & e contra; illud est posterius, quod nullo modo potest intelligi, aut concipi sine alio; unde adhuc in diuinis prius est prædicatum entis, quam substantia; quia ens concipitur sine substantia, & potest definiri sine ipsa; substantia autem nullo modo potest concipi sine ente; atqui intellectio diuina nullo modo potest concipi, neque definiri sine obiecto primario, obiectum autem primarium intellectionis diuinæ non petit ad sui definitionem, & intelligentiam intellectionem diuinam, & sic potest definiri sine illa, quapropter Aristoteles in prædicamento relationis dixit, tertium genus

relationis, quod est cognoscentis ad cognoscibile esse mensurabile ad mensuram, mensurabile autem non posse intelligi sine mensura; mensuram vero non indigere villo modo mensurabili, nec ad sui cognitionem aut definitionem, nec ad sui existentiam & ideo concludit, mensuram esse absolutum conceptum nullam dicentem relationem ad mensurabile; mensurabile autem dicere relationem ad ipsam, & sic hoc tertium genus esse relationum non mutuarum; ergo omne obiectum primum est prius nostro modo concipiendi intellectione terminata ad ipsum; quare verificatur hæc causalis; ideo cognoscitur obiectum, quia est obiectum, quod à contrariis sensu est falsum, ideo est obiectum, quia cognoscitur, sed particula, quia, quia est causalis denotat prioritatem in eo, respectu cuius verificatur, & posterioritatem in alio; quia omnis causalitas conuertitur eum prioritate, eo quod causa, vel quasi causa est prior suo effectu; ergo si particula, quia, denotat causalitatem obiecti respectu intellectionis; omne obiectum erit prius respectu omnis intellectionis.

Minor prima, & præcipua primi syllogismi sic probatur; ideo enim causa non potest constitui à suo effectu, quia causa est prior illo, & ideo essentia non potest constitui à sua proprietate, quia est prior illa, & ens non potest constitui ab inferioribus eius; quia est prius illis, & ratio est; quia id quod est prius est ante posterius, & intelligitur ante illud; atqui constitutum non potest intelligi ante constitutum; quia constitutum est de essentia constituti, & res nullo modo potest intelligi sine sua essentia; ergo quod est prius non potest constitui à posteriori.

Secundo. Quia idem respectu eiusdem non potest esse prius, & non prius non potest esse posterius, impossibile enim est idem simul esse, & non esse atque si prius constitueretur à posteriori, prius esse; prius, & non prius, posterius est, & posterius & non posterius respectu eiusdem simul: ergo prius non constituitur à posteriori. Minor sic probatur; quia id quod constituitur, vel causatur aut quasi causatur ab alio, est quasi effectus illius, & effectus, ut effectus non est prius, sed posterius causa, seu constitutiuo; ergo si prius constituitur à posteriori, prius quia constituitur ab ipso, vel quasi causatur ab eodem, non est prius respectu illius, & posterius, quia constituitur, vel quasi causatur prius, non erit posterius respectu prioris; sed per vos est prius, & ideo dicitis prius constitui à posteriori, & e contra: ergo idem respectu eiusdem simul est prius, & non prius, posterius, & non posterius.

Prima consequentia est euident; quia syllogismus est in forma, & figura; & patet manifeste, quia quicquid conuenit superiori, conuenit omni contento sub illo. atque obiecto, ut sic quia est prius sua intellectione conuenit non constitui per illam, seu repugnat constitui per eandem; ergo omni obiecto contento sub obiecto ut sic conuenit non constitui per suam intellectionem seu per intellectionem terminatam ad ipsum primum. Tunc sic diuina essentia est aliquod obiectum contentum sub obiecto ut sic: ergo conuenit illi, quod non constituitur per diuinam intellectionem terminatam ad ipsum; seu repugnat illi constitui per diuinam intellectionem.

Respondet P. Herize cap. 3. n. 16. §. ad 3. argumentum, negando intellectionem Dei supponere diuinam intelligibilitatem obiectiuam.

Si 2 Sed

108 Sed hæc responsio refellitur manifeste, & evidenter rationibus nuper positis, quas quia non vidit, ideo negat consequentiam.

109 Sed casu negato supponamus per possibile, aut impossibile intelligibilitatem divinam terminantem ut obiectum primum divinam intellectionem, non supponi ad illam, minimum erunt simul intelligibiles divina & intellectio, quia nullus adhuc cæcitiens poterit dicere, obiectum primum divinæ intellectionis quale ait Herizze, esse essentiam Dei, esse posterius ipsa intellectione; quia nullus aulus est dicere huc usque specificativum, vel quasi specificativum alicuius cognitionis esse posterius ipsa, aut mensurabile antecedere mensuram. Itaque secundum adversarios, si rationabiliter sit ipsis loquendum, ne tot absurda multiplicent, supposito, quod negant obiectum esse prius cognitione, dicendum est, neque cognitionem esse priorem obiecto, neque obiectum esse prius cognitione, sed utrumque simul adhuc nostro modo concipiendi.

110 Quo supposito sic argumentor, intellectio divina est simul cum intelligibilitate divina; sed essentia divina est prior intelligibilitate divina: ergo de primo ad ultimum consequentia est evidens; quia quoties aliquid est prius aliquo, etiam est prius alio quod est simul cum illo: ut patet exemplo clarissimo, Deus est prior natura essentia Angeli; sed natura Angeli est simul cum essentia, & ideo Deus etiam est prius natura quam natura Angeli. Item Petrus est prior duratione Ioanne, Ioannes est simul duratione Francisco, & ideo necessario Petrus debet etiam esse prior duratione Francisco, sicut quia quæritas tripalmaris superat magnitudine bipalmarum A, etiam debet superare bipalmarum B, quia est equalis cum illa: ergo similiter si aliqua sunt equalia in duratione, hoc est sunt simul duratione, aut quacunque ratione, & alia formalitas excedit illa, simul debet excedere in prioritate alia similitate cum illis.

111 Sed essentia divina est prior intelligibilitate divina, & intellectio divina est simul cum intelligibilitate: ergo sine dubio essentia divina erit prior intellectione divina. Minor illa est manifestata; quia omnis essentia est prior suo attributo; unde ens est prius bonitate, & unitate; divinitas est prior misericordia; & immensitate quia divinitas est essentia, immensitas, & misericordia attributa; sed intelligibilitas divina & veritas transcendentalis est attributum divinæ essentiae, sicut intelligibilitas ut sic est attributum entis ut sic, ergo essentia divina est prior intelligibilitate divina.

112 Urgetur tota hæc ratio formando argumentum ex verbis supra citatis D. Thomæ lib. 3. contra gent. cap. 26. supra citatis; quia natura, & essentia divina necessario est primum intelligibile, quia est primum ens; eo enim modo convenit rei intelligibilitas, quo est; attributum enim mensuratur cum essentia, cuius est attributum; unde quia Deus est infinitus habet infinitam intelligibilitatem, misericordiam, & iustitiam; ergo si Deus est primum ens, erit primum intelligibile; sed actualis intellectio non potest esse primum intelligibile; sicut volitio actualis non potest esse primum volibile, quia essentialiter præsupponit aliquod obiectum bonum, cuius sit volitio, ut his verbis docet D. Thomas obiectum igitur voluntatis est prius naturaliter,

quam actus eius; primum igitur eius obiectum præcedit omnem actum ipsius: non potest ergo actus voluntatis primum volitum esse. Ita etiam actualis intellectio esse non potest primum intelligibile, quia essentialiter præsupponit aliquod obiectum intelligibile, cuius sit intellectio, & actualis vitalis representatio: ergo actualis intellectio non potest esse essentia ipsa divina.

In qua ratione notandum est, quemadmodum intellectio divina necessario est intellectio directa, ita etiam esse reflexam, & supra seipsam cadere, ita etiam divinam volitionem non tantum esse volitionem directam, sed etiam reflexam; nam sicut Deus intelligit suam cognitionem, ita etiam ipse Deus amat suam volitionem; quemadmodum autem ut intelligatur in Deo ratio volitionis, necessario intelligenda est quædam ratio antecedens obiecti boni, ut ita volitio sit talis obiecti, & postea reflectat supra se ipsam, eadem ratione ut intelligatur in Deo intellectio, antecedere debet aliqua ratio entis intelligibilis, ex quo veluti sequatur intellectio non solum talis obiecti, sed etiam sui ipsius; involuit enim contradictionem esse aliquam intellectionem, aut volitionem; quæ adæquate sui tantum sit intellectio, aut volitio sine aliqua ratione antecedentis obiecti. Itaque esse potest intellectio, & volitio, quæ sit tantum alterius intellectio, & volitio, non autem sui ipsius tantum; & ratio est manifesta; quia sicut cognitio directa præsupponit obiectum quod representat, ita etiam cognitio reflexa præsupponit directam; quia directa est obiectum reflexæ: ergo de primo ad ultimum, sicut directa non potest esse sine aliquo obiecto antecedenti, ita non potest esse reflexa sine cognitione directa antecedenti: ac proinde obiectum directa cognitionis debet esse prius reflexa cognitione; sed essentia divina est obiectum primum, quia est primum intelligibile: ergo est obiectum directa cognitionis: ergo essentia divina non est cognitio ipsa. Patet consequentia; quia si essentia divina esset ipsa cognitio, esset obiectum reflexæ cognitionis: sed obiectum reflexæ cognitionis non est obiectum primum, sed secundum, quia obiectum reflexæ cognitionis est directa cognitio præsupponens iam primum obiectum; atqui Deus non potest præsupponere quatenus prima essentia, & primum ens est aliud primum intelligibile, quia nullum est primum intelligibile, nisi primum ens: ergo Deus non potest esse cognitio secundum nostrum modum concipiendi, nam omnis cognitio adhuc quatenus cognoscibilis præsupponit aliud intelligibile: sed essentia divina, quia est primum ens ac per consequens primum intelligibile non præsupponit aliud intelligibile; alias esset, & non esset primum intelligibile, & primum ens: ergo manifeste sequitur essentiam divinam nullo modo esse intellectionem divinam terminatam ad ipsam.

Præterea bene potest esse intellectio, & volitio, quæ essentialiter sit non solum obiecti antecedentis, sed etiam sui ipsius, fieri tamen non potest, ut aliqua sit ratio intellectionis aut volitionis, antequam non præcedat ordine rationis obiectum intelligibile, & volibile; sed omnis intellectio divina est vera, & propria intellectio; ergo omnis intellectio divina præsupponit obiectum intelligibile; sed omne, quod præsupponitur ad aliud est prius: ergo obiectum intelligibile primum divinæ cognitionis est prius ipsa cognitione divina, sed essentia divina completa, & adæ-

quata est obiectum, seu primum intelligibile respectu cognitionis, & intellectus diuinæ: ergo est prius illa, & illa posterior respectu eiusdem: ergo diuina essentia nullo modo est intellectus diuinæ; patet consequentia, quia idem non potest esse prius, & posterius respectu eiusdem simul; prius enim & posterius opponuntur oppositione relatiua; opposita enim distinguuntur, ac proinde vnum non est aliud; sed diuina essentia quatenus primum intelligibile & primum obiectum diuinæ intellectus, est prior diuinæ intellectus, & diuina intellectus simul est posterior diuinæ essentia: ergo diuina essentia nostro modo intelligendi non est sua intellectus diuinæ.

Quod argumentandi genus tanquam euidens vtrpauit S. Iustinus martyr. lib. christianar. quaest. ad gentes, q. 3. in refutationem responsionis Græcorum, ubi probat, voluntatem Dei distingui ratione ab ipso Deo, Deumque per rationem non esse suam intellectus sumit pro medio ad hoc demonstrandum, Deum esse primum obiectum suæ voluntatis. Verba Sancti Martyris hæc sunt: [quomodo igitur idem est cum essentia voluntas, cum voluntas, & quod voluntate experitur, aliud, & aliud sit, sicut sensus, & id quod sub sensum cadit, &c.] ergo tota ratio, propter quam Sanctus Doctor probat euidenter, voluntatem diuinæ & volitionem non esse essentiam diuinam est quia essentia diuinæ est primum obiectum primæ voluntatis, & volitionis, sed etiā essentia diuinæ completa, & vltimo constituta, (quia aliter non est essentia diuinæ, sicut essentia hominis non vltimo completa, & constituta, hoc est deficiente vltimo constitutio, rationalitate nimirum, non est essentia hominis, essentia enim ut ait Philosophus, sunt sicut numeri in quibus ablata quacunque vnitatem, non est idem, sed alius numerus; ita ablato quocunque predicato, & præcipue vltimo non est eadem essentia) est primum obiectum diuinæ intellectus: ergo essentia diuinæ vltimo constituta, & completa nullo modo est intellectus diuinæ, neque intellectus diuinæ est essentia diuinæ, neque constituit ipsam, quia sequitur ex ipsa, ut ait D. Thomas 1. p. q. 14. art. 4. his verbis: [sicut esse sequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem, & in Deo non esse aliam formam, & speciem, præter essentiam diuinam]; atqui id, quod constituit aliud non sequitur ad constitutum, sed potius antecedit illud, & constitutum sequitur ad constitutum, ut rationale non sequitur ad hominem, neque alicuius sequitur ad Deum, sed potius homo sequitur ad rationale, & Deus ad alicuius; & ratio à priori est, quia omne constitutum modo nostro concipiendi se habet ut causa, vel quasi causa constituti; atqui omnis causa, vel quasi causa est prior effectui, vel quasi effectui; sed quod est prius non sequitur ad posterius, sed potius posterius sequitur ad prius: ergo nullum constitutum sequitur ad constitutum, sed potius constitutum sequitur ad constitutum: sed intellectus diuinæ sequitur ad essentiam diuinam: ergo essentia diuinæ nullo modo constituitur per intellectus diuinam vltimo, sed est attributum, seu operatio diuinæ essentia; unde essentia non est sua intellectus. [Quod sic demonstratur, quia impossibile est id, quod repræsentatur esse formalissime idem, quod repræsentationem eius; sed essentia diuinæ est id, quod repræsentatur per cognitionem, & cognitio est id quod repræsentat essentiam, seu repræsentatio essentia: ergo omnino impossibile est essentiam diuinam repræsentatam per intellectus esse omnino idem adhuc per rationem cum intellectus diuinæ repræsentante ipsam. Minor, & consequentia sunt euidentes. Maior demonstratur, quia ea quæ sunt diuersæ rationis, & definitionis distinguuntur ratione, & non sunt omnino idem formalissime, ac proinde impossibile est omnino habere formalissimam identitatem inter se; sed repræsentatio, & repræsentatum sunt diuersæ rationis, & definitionis: ergo impossibile omnino est id, quod repræsentatur esse formalissime & omnino idem. Minor sic probatur, quia obiectum sic definitur: est id, quod percipitur à potentia mediante repræsentatione, & sub hac ratione non est aliquid vitale in actu secundo; repræsentatio vero est actuale exercitium vitæ, & ipsa vitalis perceptio; sed hæc sunt diuersæ definitiones: ergo repræsentatio, & repræsentatum sunt diuersæ rationis, & definitionis.]

Vrgetur; quia omnis repræsentatio est ordo, aut habitudo in ordine ad repræsentatum, aut secundum esse, aut secundum dici; sed omnis ordo, & habitudo distinguitur saltem ratione à termino suo: ergo omnis repræsentatio distinguitur ab eo, quod repræsentatur per illam.

Tandem demonstratur hæc veritas cum Patre Granado; quia cum dicitur diuinæ cognitio esse idem omnino, quod eius formale obiectum scilicet essentia diuinæ, aut nomine essentia significatur natura Dei propterea est radix diuinorum attributorum, quæ sunt veluti affectiones eius, aut significantur omnes diuinæ perfectiones quæ Deum essentialiter constituunt, ac proinde omnia attributa simul cum illorum radice; sed neutrum dici potest: ergo diuinæ cognitio non est idem omnino ratione nostra cum diuinæ essentia. Maior, & consequentia patent. Minor probatur quoad primam partem; quia si idem omnino sit cognitio, quod essentia propterea radix attributorum, non illa, sed solum attributa erunt obiectum formale proprie, & rigore loquendo, etenim cognitio necessario respicit, ut supra dixi, aliquod obiectum formale directe ab illa repræsentatum, alioqui solum erit reflexa, & non directa; sed si diuinæ essentia, ut radix attributorum sit idem omnino, quod cognitio, seu intellectus, perinde erit essentiam cognoscere à cognitione, atque cognitionem cognosci à se ipsa: ergo erit cognitio reflexa comparatione essentia: ergo aliud formale obiectum, quod directe repræsentet, asserendum est, quod nullum esse potest, nisi attributa: cum ergo absurdum sit obiectum primarium diuinæ cognitionis non esse essentiam, quæ est veluti radix cæterarum perfectionum, quæ in Deo sunt, asserendum consequenter est, essentiam, & cognitionem distingui ratione, & non esse omnino idem.

Secunda pars minoris sic probatur, nam si cognitio diuinæ sit formalissime idem, quod omnia attributa, cum hæc etiam in sententia aduersariorum à se inuicem distinguantur ratione rationata, necesse est, ipsam quoque diuinam cognitionem esse multiplicem secundum rationem, & vnam esse idem omnino, quod attributum cognitum per illam; alteram idem, quod alterum, & sic tot esse cognitiones, quot perfectiones diuinæ, ex quo vltius inferitur volitionem diuinam esse idem omnino, quod cognitionem voluntati, immanitatem esse formalissime cognitionem ipsius, & sic de reliquis diuinis perfectionibus, ac per consequens omnia attributa diuinæ esse formalissime idem quod cognitionem; unde cum

Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio per voluntatem eadem veritate, & proprietate procedet per intellectionem; cum tamen certa Patrum, & Theologorum doctrina sit procedere solum per voluntatem, & cum Verbum procedat à Patre per intellectionem verissime & formalissime dicetur, per voluntatem procedere cum hac formalissime sit idem ac intellectio; cum tamen certum sit, solum produci Filium formalissime ex vi processioneis per intellectionem: ergo intellectio nullo modo est essentia diuina, neque constituitur essentia per illam; quod sic patet, quia illæ formalitates distinguuntur inter se & non sunt omnino idem, quæ pluribus conceptibus melius intelliguntur, quam vnico, supponendo tales formalitates vere, & realiter conuenire obiecto cognito: sed intellectio diuina, & essentia vere realiter Deo conueniunt; & melius intelligitur Deus vtroque conceptu intellectionis, & essentia, quam solo conceptu intellectiois, vel solo conceptu essentia; ergo intellectio, & essentia non sunt omnino idem. Maior est clara, vt videre est in immensitate, misericordia, iustitia, & reliquis comparatis cum diuina essentia; & è contra, quia natura, & essentia diuina, seu diuinitas sunt omnino idem sine vlla distinctione adhuc per rationem non intelliguntur melius tribus illis conceptibus, quam vnico, siue hic sit diuinitatis, siue nature, &c. Minor colligitur ex generali doctrina S. Thomæ 1. *partie, quest. 13. artic. 4. & 12. sed magis aperte, eadem prima parte, quest. 28. artic. 2. ad 3. vbi ait: [quod si in diuina perfectione nihil plus contineretur, quam quod significat nomen relationum, sequeretur, quod esse eius esset imperfectum vtpote ad aliquid aliud se habens; sicut si non contineretur ibi plus, quam quod nomine sapientia significatur non esset aliquid subsistens:] ergo solo conceptu, aut nomine intellectionis, & sapientia non intelligitur essentia, siue substantia Dei, hoc enim sonant illa verba, [non esset aliquid subsistens,] ac proinde non ita perfecte penetratur perfectio illius rei, quæ Deus est.*

118 Vigetur amplius, quia dictiones reduplicatiue vt bene aduertit Pater Ruiz, vim habent reflectendi supra rationem formalem: ergo quotiescumque prædicatum idem, quod affirmatur de vna formalitate cum reduplicacione, non potest affirmari de alia, manifestum indicium est, illas formalitates non esse omnino idem; sed idem prædicatum quod affirmatur de intellectione, & sapientia cum reduplicacione provt intellectio est, non potest affirmari de essentia provt essentia est: ergo Minor probatur: quia intellectio provt intellectio est, tendit in obiectum verum, provt est verum, proponit voluntati bonum amandum est productio, per quem formaliter procedit Verbum: sed hæc omnia non possunt reduplicatiue dici de essentia, quia essentia, quatenus essentia est quid absolutum omnino permanens, & primum constitutum personæ producentis Verbum, & per consequens primum constitutum Verbi procedentis à Patre, & sic nostro modo concipiendi ipsum intelligere concipitur vt operatio sequens ipsam essentiam, & essentia, vt principium sine principio talis operationis, vt quo, vt patet ex supracitatis verbis D. Thomæ: ergo essentia non est omnino idem formalissime, quod intellectio, neque intellectio formalissime prædicatur de essentia, ac per consequens non erit formalissimum constitutum illius, quia hoc formalissime prædicatur de constituto. Item cognitioni diuinæ attribuiamus reduplicatiue relationem, & habitudi-

nem ad obiectum, non autem essentia quod sufficit ad distinctionem, & non prædicationem formalem vnus de alia; quia respectus conueniens vni formalitati, & non alteri, vt Athanasius docet *Dialogo primo, de Sancta Trinitate*, probant distinctionem rationis ratiocinatæ inter illas, & negationem vnus respectu alterius; explicat hoc negotium isto exemplo Athanasius: Vt granum frumenti dicitur, & est tum semen, tum fructus non vt res alia, & alia aliud enim declarat semen, aliud fructus; quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, ad ipsamque refertur, fructus vero est præteritæ culturæ fructus.

Ergo huiusmodi reduplicaciones sensum formaliter continentes, indicant manifestam distinctionem inter essentiam, & intellectionem.

Dices; modus arguendi fundatus in huiusmodi reduplicacionibus, neque grauitatem in se continet, aut vim seu efficaciam ad probandum intentum distinctionis.

Sed contra manifeste, quia S. Doctores, Patres, & Ecclesiæ huiusmodi argumentationibus vtrunt contra hereticos ad probandam distinctionem rationis ratiocinatæ inter essentiam & personam: ergo non solum auctoritatem, & grauitatem continent, sed etiam vim, robur, & efficaciam ad concludendum intentum, alias grauissimi æque ac sapientissimi Patres diuino Spiritus sancti lumine circumfusi non vterentur eiusmodi arguendi genere. Antecedens patet manifeste ex Athanasio, *orat. 4. contra Arrianos, col. 3. vbi sic ait: [quamquam, alius est filius, quatenus est genitus, attamen idem existit, quatenus est Deus,] & ex Chrysost. hom. 1. in Ioan. ibi: [omnibus Patrem esse constabat, si non vt Patrem, saltem vt Deum,] quæ omnia confirmantur ex modo loquendi grauissimo Concilij Remensis, ibi: [esse in Deo id, quod est sapiens, & id quo est sapiens:] ergo Concilium distinguit inter sapientem & sapientiam, sed non distinguit realiter; quia potius condemnauit Gilbertum Porretanum fingentem talem distinctionem realem; & ideo concludit, [scilicet] vero dici Deum sapientia Dominum, sapientia sapientem, magnitudine magnum, credimus non, nisi ea sapientia quæ est ipse Deus sapientem esse.] Ecce quomodo Concilium primo modo loquendi, significat distinctionem rationis inter scientiam, & Deum sapientem constitutum per illam; quia illi modi loquendi distinctionem indicant vt quando dicimus, Deus misericordia est misericors, iustitia est iustus, & bonitate est bonus sine dubio distinctionem constituimus inter illas perfectiones, & ipsum Deum constitutum per easdem: ergo si Concilium asserit in diuinis non solum dari Deum, qui constituitur per sapientiam in esse sapientis, sed etiam sapientiam ipsam, per quam constituitur, sine dubio constituit aliquam distinctionem inter sapientiam, & Deum non realem formalem vt patet ex verbis secundis concilij: ergo per rationem.*

Quod vtrumque fecit data opera Concilium. 119 Nam Gilbertus Porretanus, vt persuaderet suam distinctionem realem docebat, aut negandas esse omnino perfectiones in diuinis, tam relatiuas, quam absolutas, aut si ponuntur, debere distinguui formaliter realiter; quia si realiter non distinguuntur, dicebat ipse, sed sunt omnino idem realiter, dicebat ipse, sed sunt omnino idem realiter, idem prædicabitur de Paternitate, & de essentia; vnde si essentia communicatur filio, communicabitur etiam paternitas; & si Spiritus sanctus procedit per essentiam, etiam procedet per intellectionem, & sapientiam; sed hoc est falsum,

falsum, alias sicut Filius est Deus formalissime, ita formalissime esset Pater, & sicut Spiritus Sanctus est spiratus, erit etiam genitus, & Filius; ne igitur hæc absurda sequantur, dicendum erit vobis (inquit Gilbertus) aut fateri debetis distinguere realiter formaliter relationem à diuinitate, essentiam à sapientia, aut nullo modo dari in Deo sapientiam, Paternitatem, &c.

122 Sanctum vero Concilium, vt hæc sophismata Gilberti dilueret, & ipsum ab his tenebris errorum separaret, docuit primum sapientiam, relationem & cæteras perfectiones diuinas dari in Deo vete, & realiter. Deinde docuit, tales perfectiones non distinguere realiter formaliter à diuina essentia, vt patet ex secundis verbis à me citatis, & ideo ait: [credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, iustum esse à iustitia, quæ est ipse Deus, &c.] Et nihilominus docuit adhuc posita tali non distinctione reali formali, sed potius identitate formali, & reali posse bene compati, quod diuinitas communicetur Filio, non communicata Paternitate; & quod Spiritus Sanctus procedat formalissime, tanquam per radicem, vt quo, per essentiam mediante voluntate, & non mediante intellectione; quia ad hoc sufficit (dócebat Concilium) quod relatio æquiualeat à parte rei distinctæ perfectioni ab essentia, & quod sapientia æquiualeat distinguatur ab essentia; ratione infinitæ eminentiæ, & excellentiæ diuinæ cum summa perfectione, & actualitate eiusdem, quæ distinctio virtualis, aut æquiualentia est sufficiens fundamentum ad veritatem illarum prædicationum; & vt intellectus noster distinguat vnā formalitatem ab alia: & ideo docebat, Gilbertum fateri debere identitatem formalem realem inter perfectiones diuinas; ne derogaretur simplicitati diuinæ, neque læderetur omnidentitas diuina, & simul fateri debere veram existentiam diuinarum perfectionum in Deo, cum aliquali distinctione virtuali à parte rei, & formali per intellectum, quod vt significaret, sic ait [esse in Deo id quod est sapiens, & quo est sapiens.]

Ex quo amplius colligebat Concilium, sicut distinctio realis formalis maxime lædit simplicitatem diuinam, ita è contra distinctionem rationis, & virtutem nihil derogare tali simplicitati, vt pote quæ consistit in quadam summa, & excellentissima identitate Dei cum omnibus formalitatibus realibus, quæ de illo dicuntur; quemadmodum Cyrillus Alexandrinus lib. 6. *Thesauri, cap. 3.* significat contra Arianos his verbis: [si aliud est apud Deum præscire, aliud velle; neque hinc simplicitas eius læditur; erit similiter aliud generare, aliud spirare, aliud creare, aliud facere in Deo; nec vlla propter hoc compositio erit;] quia talis distinctio æquiualentia clarius ostendit excellentiam diuinæ simplicitatis, & eminentissimæ identitatis, quæ ita perfectionem omnem complectitur, vt absque vlla reali pluralitate, & multiplicitate æquiualeat omnibus rebus distinctis inter se; ratione cuius excellentiæ prouenit impossibilitas exhaustiendi totam intelligibilitatem diuinæ perfectionis per vnum, aut alterum conceptum, proptereaque requirit infinitos, vt melius penetraretur.

SECTIO III.

Vltima conclusio ponitur.

Volutio diuina non est constitutum metaphysicum diuinæ essentia; & primo probatur hæc conclusio eisdem argumentis, quibus supra probauit intellectiōem diuinam non posse constituere diuinam essentiam; tum propter diuisionem, & pluralitatem volitionum, quæ ratio continetur in primo argumento; ibi enim probauit, intellectiōem non posse esse vltimum constitutum, quia vltimum constitutum alicuius essentia debet esse omnino vnum indiuisum, & indiuisibile; atqui volitio diuina, sicut intellectio non est vna sed plures virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum; nam odium, & amor, volitio, & nolitio respectu eiusdem obiecti; v.g. hi duo actus, volo creare mundum, nolo, creare mundum, & loquor de vno, & eodem mundo, non solum distinguuntur virtualiter, sed etiam opponuntur, & ideo non potest Deus simul velle creare mundum, & simul nolle creare ipsum mundum, quia se excludunt virtualiter ab eadem voluntate Dei, conueniendo sub ratione volitionis, quæ rationes concludunt manifeste oppositionem virtualem à parte rei, & formalem per intellectum illorum actuum; quia opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed ea, quæ opponuntur, distinguuntur, ac proinde plura sunt: ergo volitiones diuinæ sunt plures, & non vna, sunt diuise, & non sunt vna indiuisibilis formalitas nostro modo concipiendi: ergo non potest esse vltimum constitutum Dei.

Tum etiam, quia volitio diuina non est formalitas perfectissima omnium, quæ reperiuntur in Deo; cum intellectio, & affectus sint perfectiores ipsa volitione, vt applicanti secundam integram rationem meam qua probaui assertatam esse perfectiorem intellectiōem, manifeste patebit, & præterea comparanti intellectiōem cum volitione sine dubio liquebit illam esse perfectiorem hac propter rationes omnes, quibus hoc probaui lib. de anima, & propter alias, quibus vtitur ad idem in tantum P. Franciscus Suarez. Tum etiam, quia volitio non est radix omnium proprietatum Dei, v.g. immensitatis, omnipotentia, vt ratione tertia pro nostra conclusione *scilicet, præcedenti* probaui in intellectiōe non radicari huiusmodi perfectiones, quæ à fortiori potest applicari volitione diuinæ, & præterea id euidenter patet, si volitio consideretur respectu intellectiōis, quæ cum præcedat volitionem ipsam, secundum illud axioma, nihil volitum, quin præcognitum, non potest oriri aut facere, adhuc nostro modo concipiendi, vt attributum ab essentia, ab ipsa volitione.

Itaque omnes rationes *scilicet, præcedenti* posita possunt facile applicari ad probandum, volitionem diuinam non posse vltimo constituere diuinam essentiam: ergo illa metaphysice vltimo non constituit quidditatem Dei; præter illas autem rationes sic argumentor; quia gradus volitiuus est secundarius & non primarius in substantia intellectuali, sed vltimum constitutum diuinæ essentia debet esse primarium, & non secundarium prædicatum: ergo volitio, seu gradus volitiuus non potest quidditative vltimo constituere diuinitatem. Maior est clara; quia gradus volitiuus est